

bus, tanq̄ regula, uti solemus, qui, quo magis exquisitè inuestigatur, eo melius est pro tem-
pore reuolutionum vero constando. In motu capitis Draconis hanc exquisitam rationem
negleximus. Cum enim per se non sit stella fixa, erraticae, & abusiue tantum uice Planetæ
connumeretur: sed potius intersectio quædam, & linea Zodiaci, quam sola cogitatione ac
imaginatione concipimus: Idcirco operæ precium non fuit, tantum laboris in eo sumere, ut
in Sole.

Motus longitudinis autem cuiusuis Planetæ respectu ipsius Zodiaci accipitur, qui ali-
quando secundum successione signorum, graduū ac minorum fit; aliquando uero con-
tra. Hinc ad discernendum id, syllaba di inter gradus ac minuta, motus longitudinis consti-
tuitur, quæ tunc Planetam directum fieri, & secundum consequentiam circuli ferri ostendit.
Litera R. retrogradum, & contra seriem circuli euntem. Quare illud interstitium, quod in-
ter literam R. ac syllabam di comprehenditur, spacium temporis definit, quo Planeta regre-
ditur. Sic, quod inter syllabam di & literam R. continetur, quantitatem temporis metitur,
quo Planeta progreditur. Sed hæc litera ac syllaba sub columna motus longitudinis Solis,
Lunæ, & capitis Draconis non reperitur, cum illi semper eodem legitimo motu incedant.
Sol & Luna nunquam contra seriem circuli Zodiaci mouentur, sed semper directe proce-
dunt. Ita caput Draconis perpetuo regreditur, nunquamq̄ secundum consequentiam signo-
rum, graduum ac minorum fertur. In quo illud etiam propter imperitiores admonendum
est, Caudam Draconis semper in opposito signo, gradibus & minutis Capitis Draconis es-
se intelligendum, quamuis appingi non soleat. Singuli autem motus longitudinis ad id sig-
num Zodiaci referantur, quod gradibus & minutis huiusmodi motus proxime præponi-
tur. Motus latitudinis dicitur distantia Planetæ à Zodiaco, versus alterum polorum. Quæ
cum duplex sit, duplicem etiam denominationem sortitur, Meridionalem uidelicet, atq̄ Se-
ptentrionalem. Nam Planetæ, (excepto Sole cum capite Draconis, ut antea monuimus) ra-
rissimè in eclipticam incidunt, seu circulo Zodiaci corporaliter inhaerent, sed maiori ex par-
te extra vagantur, nunc in Aquilonem, nunc in Austrum excurrentes. Proinde ad iudican-
dum hoc, litera M vel S gradibus & minutis motus latitudinis accedit. M planetam in
parte meridionali à Zodiaco constitutum esse ostendit, S in parte Septentrionali: Et qui-
dem eum tantum abesse à Zodiaci circulo, quantum numeri graduum ac minorum pro-
portionabiliter obtinent. Sed et hic motus aliquando crescit, aliquando uero decrescit, quod
literis A vel D optimè discerni potest. A significat latitudinem Planetæ ascendentem, D
descendentem. Hæc facilia intellectu sunt, nec opus proluxa explicatione habent, præsertim
cum hisce de rebus paulo post plura tradentur. Meminisse tantum expedit, quemlibet mo-
tum uerum longitudinis, ac latitudinis, hic designatum ad meridiem referri eius diei, cuius
numero gradus & minuta talis motus opponuntur. Dies etiam æquales supponunt, ueluti
supputatio Astronomica postulat, qui uicenis quaternis horas à meridie in meridiem absol-
uuntur. Atq̄ hæc de sinistra folij facie. Nunc ad dextram veniamus.

Principio ei mensis præfigitur, cui ordo dierum subiungitur, applicatus rationibus Cal-
endarum, Nonarum & Iduum. Iis statim sex æquales columnæ lineis particularibus di-
stinctæ succedunt, quibus aspectus Lunæ cum Planetis continentur. Earum autem Prima
Solis est, Secunda Saturni, Tertia Iouis, Quarta Martis, Quinta Veneris, Sexta Mercurij.
Id quod characteribus suis proprijs supernè depingitur. Vnaquæq̄ porro columna dupli-
cem numerum representat. Vnum horarum, alterum minorum, ut eò exactius & certius
tempus eiusmodi aspectus habeatur, quod quidem in alijs Ephemeridibus prætermis-
sum est. Ibidem etiam orientalitas, aut occidentalitas quinque Planetarum, trium uidelicet superio-
rum, & duorum inferiorum, accuratè explicatur, per adiectionem vocabuli Orient: uel Oc-
cident: Hoc nanq̄ considerato, facile de Orientalitate, aut occidentalitate planetæ, item
principio, ac fine illius constabit. Post seriem antedictarum sex columnarum, vna magna &
lata columna ponitur, in qua aspectus Planetarum inter se (dempta vnica Luna) certis ho-
ris, ac minutis temporis exprimuntur. Prior enim numerus horas: posterior uero minuta
ostendit. In illius porro columnæ spacio, configuratio etiam Lunæ, cum capite, ac cauda
Draconis ad eandem exquisitam rationem collocatur, cuius laboris diligentia aliæ Ephe-
merides destituuntur. Vltimo, latæ huic columnæ, quatuor aliæ angustiores & arctiores
annectuntur,